



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1460. usque ad annum 1478

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118332

§. 128. Hujus Legati indoles ex Papiensi Cardinale

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66459](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66459)

§. CXXVIII.

Sæcul. XV.
A.C. 1472.*Hujus Legati indoles ex Papiensi
Cardinale.*

Hujus Legati indolem Cardinalis Papiensis, qui eum melius noverat, ac *Papiens.* nemo alius, in suis epistolis disertius de *epist. 534.* scribit, ac parum laudabilia de eo profert. Scribit enim hæc ad Franciscum Toletanum: *Vice-Cancellarius Pontificem nactus concupitam diu in patriam suam profectiorem facile impetravit, ut honoratus iret, ut populis se visendum præberet, ut ex tribus Regnis Castella, Arragonia & Lusitania omnifariam messem commeteret; primum Valentiam navigavit, inde in ulteriorem Hispaniam transit, utrobique multa vanitatis, & luxus & ambitionis, & avaritice documenta relinquens, nullo eorum perfecto, quod sibi ad nomen legationis prætenderat. Odio Principum & populorum renavigat Romam; ingenti exorta tempestate, conflatis diu quadriremibus duabus, ex quibus altera cum omni præda Hispanica ante oculos suos depressa est, altera, quæ sua erat, diffracta jam puppe, cum haud procul exitio esset, ægre in portum lacera ac vexata protruditur. Præter ceteram turbam quinque & septuaginta ex familia periere, in his Episcopi tres, Jurisconsulti*

D d 2

am-

Sæcul. XV. *amplius duodecim, atque equestris ordinis*
 A.C. 1472. *sex. (*)*

§. CXXIX.

*Expeditio maritima Cardinalis
 Caraffæ Legati.*

Papiens. ep.
 439. & 440.

Caraffa Cardinalis patria Neapolitanus, classis contra Turcas instructæ Præfectus, in festo solemnî Corporis Domini die vigesima octava Maji, post peractam rem divinam de manu Pontificis in Basilica Sancti Petri vexilla triremium ex more sacrata recepit. Hunc summus Pontifex absoluto prandio comitantibus eum Cardinalibus conduxit ad classem, quæ paulo infra eandem Ecclesiam in media Tyberi substiterat. Ascendit Papa prætoriam, & a puppi ex loco edito non solum Legato, ejusque familiaribus, sed etiam cunctis, qui in ceteris triremibus erant, bene precabatur, iisdemque plenam pœnarum condonationem indulgebat. Amplexus inde Legatum in triremi eum dimisit; ipse vero ad Vaticanum

(*) Centenis probatum exstat argumentis, Papiensem nimium rigidum aliorum fuisse Censorem, ac omnium mores, si vel hilum quidem ab æquo deflecterent, exagitasse; non raro etiam, quæ præter suum consilium gesta fuere, liberius sugillasse, ut ejus epistolas perlegenti perspicuum erit.